

» modo in quantum natura hominis interius roboratur
 » contra interiora corruptiva... alio modo, per hoc quod
 » munitur contra exteriores impugnationes. »

7° Gratia hujus sacramenti ex opere operato produ-
 citur, in ipso instanti quo sacræ species in stomachum
 trajiciuntur; quia tunc proprie fit manducatio vel potus
 sumptio.

8° Eucharistiæ sacramentum aliis quam realiter sumen-
 tibus prodesse potest: quia 1° ut opus religionis præstan-
 tissimum, pro aliis tam vivis quam defunctis offerri potest.
 2° Qui hoc sacramentum digne suscipiunt, strictiorem cum
 Christo acquirunt unionem, et efficacius pro aliis orare
 possunt. 3° Anima quæ divinam alimobiam hanc realiter
 suscipere non potest, eam ardentem desiderando, gratiam
 aliquam ex opere operantis consequitur, et est communio
 spiritualis. Ergo.

9° Peccata venialia actu complacentia, vel in ipsamet
 communionem admissa, ut vana gloria, voluntaria distrac-
 tio, etc., substantiam gratiæ sanctificantis non impediunt;
 sed illius mensuram minuunt, quia charitatem ex parte
 lædunt. *Sic omnes post S. Th., q. 79, art. 8.*

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA QUATENUS EST SACRIFICIUM.

Vox *sacrificium*, a sacro faciendo derivata, significat,
 latiori sensu, id omne quod Deo in ipsius honorem et cul-
 tum offertur, videlicet orationes, laudes, adorationes, cæte-
 rosque actus virtutum, præsertim virtutis religionis. Eo
 sensu dicitur in Scripturis: 1° *Sacrificate sacrificium jus-
 titiæ, et sperate in Domino*, Ps. VI, 6; 2° *Immola Deo
 sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua*, Ps. XLIX,
 14, et ibid. v. 23: *Sacrificium laudis honorificabit me*;
 3° *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum
 et humiliatum Deus non despiciet*, Ps. L, 19; 4° *Sacri-*

*ficiam salutare est attendere mandatis, et discedere ab
 omni iniquitate*, Eccli. XXXV, 2, et ibid. v. 4: *Qui facit
 misericordiam offert sacrificium*; 5° *Obsecro vos, fratres,
 per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hos-
 tiam viventem, sanctam, Deo placentem*, Rom. XII, 1.

Nullum est dubium quin sacrificium, sic generaliter
 sumptum, semper, pro cunctis hominibus et in omni
 statu, fuerit necessarium, etiam jure naturali; quia
 omnes homines libere agentes Deum amare, laudare,
 benedicere et cultu saltem interno honorare tenentur.
 Ergo.

Sacrificium vero, stricte sumptum, specialis est virtutis
 religionis actus, quo supremum Dei dominium in omnes
 creaturas per alicujus rei sensibilis oblationem et destruc-
 tionem agnoscitur, et a multis definitur: *Oblatio externa
 rei sensibilis, divinitus instituta, soli Deo per ministrum
 legitimum facta, cum destructione rei oblate, vel aliqua ejus
 immutatione, ad recognoscendum supremum Dei dominium
 in omnes creaturas.*

Dicitur 1° *oblatio*: quæ vox tenet locum generis: omnis
 quippe oblatio non est sacrificium, sed omne sacrificium
 est oblatio.

Dicitur 2° *externa*; quia, juxta omnes, sacrificium pro-
 prie dictum ad cultum Dei externum pertinet: non suffi-
 ceret ergo oblatio interna.

Dicitur 3° *rei sensibilis*, ut scilicet oblatio aliis homi-
 nibus pateat et vinculum sit religionis: sic etiam omnes
 apprehendunt.

Dicitur 4° *divinitus instituta*; quia exterior cultus non
 est certe Deo gratus, nisi ab ipso immediate vel mediate
 fuerit determinatus: sacrificium autem præcipuus est cul-
 tus externi actus. Ergo.

Dicitur 5° *soli Deo facta*; quia sacrificium stricte sump-
 tum eminentior est actus supremæ religionis. Ergo soli Deo
 competere potest, et ideo additur in definitione: *ad reco-
 gnoscendum, etc.*

Dicitur 6° *per ministrum legitimum*; quia, cum ille
 actus propter Deum et nomine religiosæ societatis offera-

tur, non a quocumque homine, sed a solo legitime deputato convenienter exerceri potest.

Dicitur 7^o cum destructione rei oblatae, vel aliqua ejus immutatione; ad rationem quippe sacrificii proprie dicti requiritur vel rei destructio, ad supremum Dei dominium perfecte significandum, vel saltem aliqua immutatio, cujus naturam et necessitatem hic non expendimus.

Hæc autem definitio, si applicetur propriis terminis sacrificio missæ, non caret difficultatibus quæ tamen multis theologis graves non videntur.

Vasquez alteram tradidit, quam plures laudaverunt ut magis accuratam.

Sic se habet: *Nota in re qua profitemur Deum auctorem vitæ et mortis.*

Duplex distinguendum est sacrificium, unum absolutum et alterum relativum. Sacrificium absolutum est illud quod absque relatione ad aliud perficitur, ut mactatio pecudis: tale fuit sacrificium Christi in cruce.

Sacrificium relativum, seu commemorativum, illud est quod non est sacrificium, nisi virtute alterius ad quod refertur et cujus est commemoratio seu representatio: requiritur tamen præsentia victimæ ut sit ratio sacrificii: tale est sacrificium missæ.

De his longius infra dicemus; sed ea distinctio diligentè notanda est: non nisi ex confusione utriusque sacrificii ortæ sunt difficultates.

Si quod enim apud nos existat sacrificium proprie dictum, est missa, et aliud assignari non potest: itaque, postquam de sacrificiis in genere quædam dixerimus in prævio capite, hanc secundam Tractatus de sanctissima Eucharistia partem in sex capita dividemus. Primum erit de existentia sacrificii missæ; secundum, de ejus essentia; tertium, de illius effectibus; quartum, de iis pro quibus offerri potest; quintum, de ejus ministro; sextum, de conditionibus ad legitime celebrandum requisitis.

CAPUT PRÆVIUM.

DE SACRIFICIIS IN GENERE.

De solis sacrificiis strictè sumptis vel proprie dictis hic nobis agendum est, ut ex jam notatis patet.

Sacrificium autem proprie dictum sub triplici respectu considerari potest, ratione materiæ scilicet, ratione formæ et ratione finis.

Ratione materiæ, dividitur in victimam seu hostiam; immolationem et libamen: hæc nomina et sequentia ex Veteri Lege deducuntur. *Victima* seu *hostia* dicebatur sacrificium quo offerebantur Deo animalia, sive quadrupedia, ut boves, vituli, oves et capræ; sive volatilia, ut columbæ, turtures et passeris: *immolatio* erat sacrificium quo offerebantur Deo res inanimes, sed solidæ, ut fruges terræ, panes, thura et alia hujusmodi: *libamen* erat sacrificium quo offerebantur liquida, v. g., vinum, olèum, sanguis, etc.

Ratione formæ seu modi quo fiebat sacrificium, dividebatur in holocaustum, hostiam pacificam et hostiam pro peccato. *Holocaustum* erat sacrificium, in quo tota res oblata comburebatur, et in fumum resoluta, sursum ascendebat, ut per totalem destructionem ejus supremum dominium Dei clarius significaretur. *Hostia pacifica* dicebatur sacrificium in quo una pars rei oblatae comburebatur in honorem Dei, altera in usum sacerdotum cedebat, et tertia in usum ipsorum offerentium: sic quædam perficiebatur communio inter Deum, sacerdotes et populum. *Hostia pro peccato* erat sacrificium in quo una pars in honorem Dei comburebatur, et altera cedebat in usum eorum tantum sacerdotum qui in atrio templi vescebantur, et ideo *peccata populi comedere* dicebantur.

Ratione finis, dividebatur in latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium. Dicebatur *latreuticum*, si per se totum in honorem Dei exhibebatur, ut

holocaustum; *eucharisticum*, si ad gratias Deo agendas pro beneficiis acceptis offerebatur; *impetratorium*, si ad nova obtinenda beneficia destinabatur; et *propitiatorium*, si ad satisfaciendum Deo pro peccatis admissis fiebat.

His notatis, quædam statuenda sunt.

1^o Certum est varia hæc sacrificia in lege Mosaica fuisse jure divino necessaria; ab ipso enim Deo fuerant determinata et præscripta.

2^o Non minus certum est a Deo præscripta fuisse sacrificia in ipsa origine mundi; ea quippe videmus in usu a primis temporibus usque ad Moysen: Cain et Abel, Noe, Melchisedech, Abraham, Jacob, Job, etc., varia obtulerunt sacrificia: *Cain de fructibus terræ, Abel de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum*, Gen. IV, 3, 4; *Noe tollens de cunctis pecoribus et volucris mundi, obtulit holocausta super altare*, ibid. VII, 20; *Melchisedech protulit panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi*, Gen. XIV, 18; *Abraham arietem inter vepres hærentem cornibus assumens, obtulit holocaustum pro filio*, Gen. XXII, 13; *Jacob lapidem erexit in titulum, fundens oleum desuper*, Gen. XXVIII, 18, etc. Hæc autem mandatum Dei positum supponunt, alioquin non fuissent tam uniformia et tam constantia.

3^o Si status innocentiae diu perstisset, quædam etiam necessaria fuissent sacrificia; quia, ut ait S. Th., 2 2, q. 35, art. 1, conclus. « Est modus conveniens homini ut sensibilibus signis utatur ad aliqua exprimenda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit; et ideo ex naturali ratione procedit, quod homo quibusdam sensibilibus rebus utatur, offerens eas Deo in modum debitæ subjectionis et honoris, secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii: hoc autem pertinet ad rationem sacrificii, et ideo ratio sacrificii pertinet ad jus naturale. » De natura igitur est veræ religionis ut quoddam sacrificiorum genus Deo offeratur: at modus lege positiva determinatur.

4^o Sacrificia cruenta post lapsum hominis a Deo præ-

scripta, in quibus sanguis victimarum effunditur, profunda indicant mysteria videlicet: 1^o hominem peccatorem redemptione indigere; 2^o sanguine redimendum et a peccatis abluendum esse, quia carni et sanguini acquiescendo, peccaverat; 3^o Deum condignam non exigere satisfactionem ab ipsis peccatoribus, sed meritorum et satisfactionum substitutionem misericorditer accipere; 4^o non omnes victimas pari modo ipsi gratas esse: unde animalia fera, nociva, horrorem excitantia, ut lupi, tigres, aquilæ, serpentes, etc., Deo non offerebantur in sacrificium: bene vero animalia mansueta, pura, ad usum humanum apta: hinc mundorum et immundorum distinctio, tempore Noe jam existens, et per Moysen renovata ac firmata.

Hæc penetrationem intelligentiæ nostræ longe superant, et nihilominus velut certa admittenda sunt, propter summam Dei auctoritatem.

5^o Ex divina sacrificiorum cruentorum institutione, in ipso mundi exordio facta, varii orti sunt ritus, apud diversas gentes usitati, victimas immolandi: omnes populi persuasum habuerunt, et innumeræ gentes ethnicae nunc exstantes adhuc persuasum habent, divinitatem sacrificiis placari et propitiâ erga homines reddi. Hinc ubique præcipuus religionis actus, in honorem Dei veri aut ficti exercitus, fuit effusio sanguinis, sive animalium purorum, raro immundorum, sive hominum; fere ubique enim, in falsis religionibus, immolatae sunt victimæ humanæ, saltem in extraordinariis periculis, quia credebatur hostias minoris pretii pro tanta obtinenda gratia sufficientes non fore.

6^o In crudelibus istis consuetudinibus et in monstruosis hujusmodi erroribus quædam supersunt traditionis vestigia, communem originem attestantia, nempe lapsum hominis, redemptionis necessitatem, Redemptoris promissionem, sacrificiorum cruentorum præscriptionem, in figuram cruenti et pretiosissimi sacrificii quo redimendus esset mundus. In ea quippe hypothese, diversæ populorum consuetudines, circa sacrificia Deo offerenda, facile explicantur, et, sepositis his fundamentalibus fidei nostræ dogmatibus, nulla illarum assignari potest ratio.

7° Soli Deo offerri potest sacrificium proprie dictum : sic omnes apprehendunt, juxta hæc S. Aug., de Civitate Dei, l. 10, cap. 4, verba : « Quis sacrificandum censuit, » nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit? » Fuerunt enim homines qui se deos haberi voluerant. « Rarissimi autem commemorantur, qui sibi ut sacrificia retur, cum regia potestate possent, ausi fuerint impere, » inquit S. Aug. contra adversarium Legis et Proph., l. 1, cap. 18. Sacrificia igitur falsis numinibus apud gentes oblata, a dæmonibus veri Dei æmulatoribus inducta fuerunt, et in ipsorum honorem cedunt : in eo namque positum est gravissimum idololatriæ crimen, quod honores soli Deo debiti ad creaturas maxima impietate transferantur. Unde Apostolus, I Cor. x, 20 : *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo.*

8° Cuncta Veteris Legis sacrificia ingens sacrificium a Christo pro salute mundi in cruce offerendum adumbrabant : *Finis enim Legis Christus, ad justitiam omni credenti*, Rom. x, 4. Est agnus, *qui occisus est ab origine mundi*, Apoc. xiii, 8, nempe in victimis eum representantibus, quæ multiplices erant et diverso ritu offerebantur, ut varias magni sacrificii circumstantias significarent, et efficerent ut res una tanquam verbis multis diceretur atque sine fastidio commendaretur. Facile autem monstrari potest vetera sacrificia eorumque cæremonias cum Christo ejusque sacrificio optime quadrare : v. g., mactabantur victimæ, Christus immolatus est; sacrificium pro peccato simpliciter dicebatur peccatum; Deus *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso*, II Cor. v, 21; præscribebantur victimæ mundæ, Christus autem erat *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior cælis factus*, Hebr. vii, 26 : corpora victimarum extra castra cremabantur, Christus extra portam Jerusalem passus est, etc.

9° De fide est Christum figuras sacrificiorum Veteris Legis adimplevisse, et cruci affixum, seipsum Patri pro peccatis totius mundi offerendo, verum consummasse sa-

crificium : *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam, in odorem suavitatis*, Eph. v, 2; *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata*, Hebr. xxviii, 9; *Cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*, Hebr. v, 7; *Una enim oblatione consummavit in sempiternam sanctificatos*, ibid. x, 14.

Dogma istud est fundamentum totius religionis Christianæ et ab hæreticis adhuc credentibus non negatur, bene vero a rationalistis qui vix nomine sunt Christiani, et in Tractatu *de vera Religione* confutantur.

CAPUT PRIMUM.

DE EXISTENTIA SACRIFICII MISSÆ.

Jam monuimus Eucharistiam non consistere in actione transitoria, sicut alia sacramenta, sed in ea distingui confectionem et statum permanentem : actio qua divinum illud sacramentum conficitur, variis nominibus appellatur, scilicet, apud Græcos, *μυσταγωγία*, id est *introductio ad mysteria*; *συναξίς*, seu *conventus* aut *cætus*; *ιερωσύνη*, *opus sacrum*; *εὐλογία*, *benedictio*; *λατρεία*, *adorationis cultus*; *θύσια*, *sacrificium*, et præsertim *λειτούργεια*, idem significans ac *opus sacrum publicum*, quia confectio divinæ Eucharistiæ præcellentissimum est opus sacrum : apud Latinos vero præcipue dicitur *collecta* vel *collectæ*, quia illius occasione populus in unum colligitur; *dominicum*, quia sacratissima est actio, ex institutione Domini facta; *oblatio*, quia divinæ majestati offertur; et communius *missa*, quæ vox neque Hebraica neque Græca est, ut quidam voluerunt, sed evidenter Latina, apud solos auctores Latinos usitata, a verbo *mittere* derivata; quia, re consummata, populus dimittebatur, publice dicendo, *Ite, missa est*. Missa pro missione ponitur, sicut *collecta* pro collectione, et sensus est : *Missio seu dimissio vobis datur, ite*.

Duplex olim fiebat populi dimissio, inter ritus pro confectione sacra Eucharistia constitutos : una post evange-